

134.

**Wolfgang Heiligmaier<sup>1)</sup> an Vadian.***Wien. 1518. September 24.*

Sehnsucht nach der Rückkehr Vadians nach Wien. Vorkommnisse an der Universität.

S(alutem). Scribam ad te Laconico more. Nescius enim sum, an patrios inhabites lares necne. Ita omnes coniectura ducimur ob id maxime, quod tam diu nichil litterarum ad nos dederis. Arbitratur Colli-  
mitius<sup>a)</sup>, me plures accepisse; quod tamen ad se nihil scripseris<sup>b)</sup>, ea gratia me omnes occultavisse<sup>c)</sup>. Scripsi<sup>d)</sup> ad te ante aliquas septimanas<sup>e)</sup> de rebus omnibus. Quærit<sup>f)</sup> indies Gundelius<sup>g)</sup> adventum tuum. Velim accelerares, tuis rebus expeditis. Avide te præstulamur omnes. Fac, nos tuo adventu exhilares. Die 23. Septembris electus est collega magister Bernhardus Otto. Est apud nos archigrammatheus Brunnensis,

propediam petiturus Italia m. Doctor Michael Ungarus conduxit domum nostram. Tibi tamen relicta est habitatio<sup>b)</sup> illa, in qua fueras. Facultati mutuavit florenos centum ad reaedificandam<sup>i)</sup> domum; credo tamen eam vix inhabitaturum. Ubi sis, quid agas, oro rescribe. Misi per Kobler Poeticam unam. Scripsissem<sup>k)</sup> quoque, si me de discessu certiore<sup>l)</sup> reddidisset. Ego, ut iussisti, stipendium dispertiam<sup>m)</sup>. Si Gundelius admittet, curabit Cuspinianus, ut est amicus tuus, scrupulos inicere. Catella, cum hoc scriberem, affuerat; impensissime salvere te iussit. Nos omnes valemus citra promptas pecunias. Nichil tamen nos molestat hoc. Ita assueti sumus<sup>n)</sup>. Nisi acceleres<sup>o)</sup>, vix me Viennæ<sup>p)</sup> inuenies. In calce enim est practica. Vale et rescribe, ut, ubi sis, sciamus. Ex Vienna<sup>q)</sup> cito, 24. Septembris, anno MDXVIII.

Tuus *Wolf(gangus) H(eiligmair)*.

Artium<sup>r)</sup> et medicinæ<sup>s)</sup> doctori, poetæ<sup>t)</sup> laureato Ioa chimo Vadiano, præceptoris amantissimo.

in S. Galli . . . . .

a) „Collimicius“. — b) „scriberis“. — c) „ocultavisse“. — d) „scripsi“. — e) „septinas“. — f) „querit“. — g) „Guldelius“. — h) „habitatio“. — i) „reedif.“. — k) „scribs“. — l) „cerciore“. — m) „dispertiam“. — n) „summus“. — o) „acceleres“. — p) „Vienne“. — q) „Vinna“. — r) „arcium“. — s) „medicine“. — t) „poete“.

l) Vrgl. I, Brief 65.